

1544

*betis , quod tantum sibi Pontificem eodem vinculo conjunget : cum e contra , si secus statueritis , multa Regem manere incommoda , & damna compertum sit ; Pontifice ab eo sejuncto , Italiae salute neglecta , Galliae defensione projecta . An vero in postremis decus , & gloriam , quam egregiam , ac præclaram ad vos perventuram certum est , per vos huic provinciae quiete , & tranquillitate parta , ducere debetis ; honesta praesertim in causa , qua Rex ad omnem pietatis laudem natus defenditur ? Caesar Galliarum Regem aggreditur ; Rex se tuetur : Caesar exitium , ac perniciem Regis molitur ; Rex sua , seque servare nititur : abnuitt pacem Caesar ; Rex exoptavit , quaesivit : opprimere Regem Caesar contendit ut mox , acerbo jugo Italia pressa , universae christianae reipublicae leges dicat ; dum se Rex defendit , publicam salutem , ac libertatem defendit . Igitur qui aliis , dum summis jactarentur periculis , quam maximam potuit opem tulit , ab Italiae cervicibus magnas calamitates repulit ; is undique petitus , desertus , ac relictus erit ? Potuit Caesar tot sibi praesidia vel ab efferis nationibus , atque a fidei Catholicae hostibus ad aliorum exitium conquirere ; nullum Christianissimus Rex auxilium ab Italis Catholicae religionis alumnis , ab hac Republica pro sua , publicaue salute conservanda impetrabit ? Dum , quae in vobis prudentia , virtus , spectata religio vigeat , intueor , quin omnia a vobis obtineam , ambigere non possum . Ne igitur cunctatione utamini , in foedus descendite , ad quod ingens invitat gloria , rapit utilitas , prudentia , & magnanimitas incitant . Christianissimus Rex , quem ex ore loquentem audistis meo , vos rogat ; seque , & potentissimi sui regni vires pro istius Reipublicae incolumitate , atque incrementis adhibiturum omni tempore profitetur .*

*Senatus responsum .*

Patrum animos haud parum vehemens , atque accurata Cardinalis oratio commovere , & ad amico Regi opem adeo enixe petenti ferendam allicere poterat ; nisi summa prudentia subductae , ac perpensae Reipublicae rationes obstitissent , cum ab iis rebus abstinendum esse Senatus censeret , quibus Respublica rursus belli procellis , ac fluctibus jactaretur . Itaque Cardinali responsum est : *quod Rex gravi bello premeretur , pro veteri in illum observantia , atque amicitia moleste admodum fer-*